1-1-25

ANNI,

Menſes ac Dies ſinguli,

QUIBUS

natus eſt, Munus ſuum ſuſcepit,
Mortem obivit

CHRISTUS.

Ex Sacris voluminibus, Chronologicis Rationibus demonſtrati.

BIBLIOTHECA LAMBETHANA

AUTHORE
JOSEPHO HANUS Gallo. V.D.M.

Ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ, προμαρτυρόμενον τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας, 1 Pet. 1. 11.

LONDINI,

Sumptibus Authoris. Proſtant apud Joan. Cailloüé, Danielem Du Chemin, in vico dicto *the Strand* & Bibliopolas Londinenſes & Gallos. 1696.

E2409

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac D. D.

THOMÆ

Providentiâ Divinâ

Archiepiſcopo Cantuarienſi,

Totius Angliæ Primati, & Metropolitano, & S. R. M. Guiliemi Regis à Conſiliis Sanctioribus.

Celſiſſime Præſul,

Miraberis fortè hominem Tibi prorſus incognitum, id ſumpſiſſe ſibi, ut Celſitudinis Tuæ Nomen Inclytum Schedis præfigeret pauculis, quas in pulverem atque ſolem emittit. Verùm id uſu venit interdum Viris ſummis, quos ſua Virtus ad ad ſupremum Dignitatis faſtigium evexit (præſertim ub Litteris excolti favent eruditis)

ditis) ut ignotus quiſpiam eorum ambiat Patrocinium: ipſorum fretus humanitate, virtutumque æquus æſtimatur, quas ſummo loco habeat & pretio. Talis ad Tuam Gratiam accedit, Tibi Orbique Ignotus homo, Gallus, extorris, quique Conſcientiæ Chriſto addictæ cauſâ perpetui Exilii, quo mulctatus eſt, mala ac incommoda per decennium & quod excurrit perpeſſus eſt, ac toleravit omnia; Quem repellere non Tua, Supreme Præſul, feret Pietas & Humanitas. Munuſculum inſuper, quod ferimus, ut Te decet, ſic haud injucundum Tibi fore ſperamus, vel ex eo quòd Quæſtiones Chronologicas aliquot Chriſtianâ non indignas curioſitate pagellis paucis comprehenſas hîc exhibemus, quas inexplicabiles eſſe Viri eruditionis non contemnendæ plures ſenſuerunt; nos tamen ratione ſingulari ſic enodavimus, ut difficultatis vix aliquid ſuperſit; & inde non nihil emolumenti Religio Chriſtiana capiat. Juſtum obtuliſſemus volumen, ſi ſumptibus Editionis pares, aut ſuppares fuiſſemus, cujus ſubire periculum Typographus de re eſſe ſuâ non autumavit. Quod autem penes nos fuit, Diſſertationem hanc Chronologicam, Operiſque uberioris velut apendicem Tibi,

Præſul

Præſul Celſiſſime, tanquam Monumentum, exiguum licet, noſtræ in Tuam Celſitudinem obſervantiæ ac reverentiæ, imo gratituditis teſſeram, pro Tuis in noſtram Gentem collatis nuperrimè beneficiis, damus ac dedicamus: Quam ſi benignâ fronte ſuſceperis, punctum omne tuliſſe nos arbitrabimur, certi quod ubivis apud Doctos ac Pios acceptum erit atque gratum, quod tanti Præſulis comprobatum fuerit judicio. Sic Te Deus Omnipotens, tuamque Dignitatem. Tibi Eccleſiæ ſuæ, Anglicæque Monarchiæ diù ſervet iucolumes, in eorum decus commodum & ornamentum. Sic vovet ex Animo,

Celſiſſime Præſul.

Kalendis Januariis A°. 1696.

Tuus Cliens, & ex Aſſe Servus addictiſſimus,

JOS. HANUSIUS V. D. M.

Ex ædibus D. Richardi Morton in Gray friers.

IOS. HANNSIUS V. D. M.

ANNI,

Menſes ac Dies ſinguli,

QUIBUS

Chriſtus natus eſt, Munus ſuum ſuſcepit, Mortem obvit.

ANnum atque diem, quo Lux Mundi, Mortaliumque Spes ac Salus unica Jeſus Dei Filius atque Meſſias in lucem prodiit, viri Literarum cognitione præſtantiſſimi plures, & imperiti non pauci numero dudum indagaverunt, piâ curioſitate molimineque multo; Verum Succeſſu nullo, vel perexiguo; niſi fortè Sententiarum multitudo atque diverſitas nonnullis ſit in pretio.

Opiniones ante Seculum hocce noſtrum quadraginta variæ numerabantur circa Menſem duntaxat & diem Jeſu Chriſti natalem, quas proferre neque nos juvat, nec Lectorem delectaret, ut equidem opinor.

Proteſtantium celeberrimi Joſepho Scaligero adſtipulantur, ut & Pontificiorum non-

nulli. Is autem ſubtili quadam ratione, è vicibus deſumptâ, quibus Sacerdotales Familiæ munus ſuum obibant in Templo Jeroſolymitano, invenit Chriſti natalem diem in exeuntem Septembrem, aut ineuntem Octobrem incidiſſe: adeo ut conceptus fuerit circa id temporis, quo nativitas ejus per Chriſtianum Orbem celebratur. Viri haud dubiè Maximi ſolertiam laudo, quanquam incerto calculo propè veram iniverit Sententiam, quam aliâ ratione deffendimus. Ipſius calculum proferre longioris eſſet inſtituti: id adnotaſſe ſufficiat, 1°. nempè eum in ipſo erraſſe fundamento, cum Menſis *Cuſleu* quintum & viceſimum diem in Octobris xxii. cadere ſtatuit: cum in viceſimum Decembris inciderit; Encæniorum Feſtum celebrantibus Judâ & Fratribus ejus Macchabæi 2°. Neque conſtare ex Macchabæorum Libris, Die viceſimo quinto Menſis Cuſleu primam Sacerdotum Claſſem munere functam eſſe ſuo Jeroſolymis; quod gratis aſſumpſit Vir Celeberrimus. 3°. Etiam ſi res ſic haberet, obſcura eſſet admodum ejus ſupputatio ac difficilis, ut ut in annum nativitatis Chriſti caderet calculus, ut deinceps videbitur. Viam igitur compendioſiorem ac magis tutam ingrediemur, quæ nos ad beatum annum, auſpicatiſſimumque diem deducat, quo Jeſus in terris editus eſt.

De die Anni primo, deinde de ipſo anno diſſeremus.

Pro-

Diem iſtum ex Scripturis duntaxat Novi Temenſtati quiſquis venabitur, operam in eo collocabit inanem; non enim ſatis præciſa ſunt, quæ illic narrantur, ut ex illorum intellectu diem huncce deprehendat. Ad Vetus Inſtrumentum itaque recurrendum eſt, inveſtigandumque, num dies iſte, vel eventus quiſpiam inveniatur, qui cum hoc die Synchronizet.

Dies ipſe, quod ſciam, nullibi declaratur expreſsè. Eventum verò cum die iſto coincidentem habemus in Danielis Prophetæ Revelationibus: diem Scilicet, à quo Septimanæ ejus Lxx ducunt initium: quem ſi certò repererimus, diem Chriſti manifeſtationis tenemus; proindeque Nativitatis ejus: Annum enim triceſimum ætatis egerat quando baptiſmate tinctus eſt in Jordane. Diem manifeſtationis Chriſti eundem eſſe ac diem quo fluere cæperunt Danielis Septimanæ, inde liquet, quòd ſcilicet omnes illæ Septimanæ ſibi invicem ſuccedentes ab eodem die neceſſariò incipiant, haud ſecus ac unius hominis omnes anni ab eo die, quo natus eſt, exordium ducunt.

Verùm Chriſti Manifeſtatio in initium Septuageſimæ Septimanæ cadit *Cognoſces ac intelliges ab exitu Verbi, de ædificandis denuò Jeroſolymis, Septimanas eſſe Septem & Sexaginta duas ad Chriſtum uſque Ducem.* Daniel ix. id eſt, ad Chriſtum completum iri Septimanas

annorum ſexaginta novem, Illum enim numerum conficiunt vii. & Lxii. Septimanæ, quibus completis adventurus erat Meſſias: Septimanâ inçunte ultimâ ſeu Septuageſimâ.

Objiciet fortè quiſpiam, Danieli non eſſe dictum, Primo die Septimanæ Septuageſimæ Chriſtum manifeſtatum iri; proindeque, illo ipſo die primo eum non eſſe neceſſario manifeſtatum. Reſpondeo 1°. Neque Abrahamo dixerat Deus præciſè, poſt annos quater centum poſteros ejus è captivitate reducendos eſſe in Patriam ſuam: id tamen contigit præcisè ac noctu, quomodo Patriarchæ locutus erat Dominus, nempe noctu, quum eum gravis oppreſſiſſet ſomnus. *Habitatio autem filiorum Iſrahelis, quâ manſerunt in Ægypto fuit quadringentorum triginta annorum, quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis Exercitus Domini de terrâ Ægypti*, Exod. cap. xii. 2°. Debuit Rex Meſſias toto Septimanæ Septuageſimæ decurſu Fœdus pangere cum plurimis, de Domo Iſrahelis, quod ab eo partim & ab Apoſtolis ejus factum eſt; debuit igitur primo Septennii iſtius die munus iſtud obire ſuum; Aliàs enim hiulcæ fuiſſent illæ Septimanæ, nec cum penultimâ cohæſiſſet poſtrema, quæ inſuper ultra Septimanarum Septuaginta limites prominuiſſet; poſito quòd Septimanâ integrâ ſeu Septennio continuo, Fœdus cum Iſrahele Meſſias confirmâſſet, ſicque tota cotrueret

corrueret Septimanarum illarum ſeries; ſi enim aliquid ultimæ liceat addere, vel ab eâ demere, idem in cæteras utique licebit, in certaque omnia hâc ratione reddentur; nec erit ubi quis in hujus Oraculi tenebris tutò veſtigium figere poſſit.

Inſtabit, Hac ratione incertum per æquè incertum, aut incertiùs demonſtrari, neque plures eſſe de die Chriſti natalitio Controverſias, quàm de tempore, quo Danielis Septimanæ fluere cæperunt. Reſpondeo, innumeras illas eſſe contentiones, non ſine Chriſtianorum opprobrio, circa rem, ſi quæ ſit alia, maximi momenti, quod eorum partim culpâ contigit, qui, ne aliquid ignorare videantur, illotis manibus ac imparati, alios docere præſumunt quæ ipſi non aſſequuntur, & quicquid eis venit in mentem chartis illinunt improvidi; tum eorum, qui ſummâ cùm polleant eruditione, novaturienti animo reſpuunt quæcunque cæteris non diſpliceant; in quorum numero Joannes Marſhamus meritò primum obtinet locum; Talia enim ſunt quæ in hoc Danielis vaticinium commentatus eſt, ut Prophetam videatur potius mortalium objeciſſe ludibrio, naſoque ſuſpendiſſe adunco, quàm Prophetiam complanaſſe.

Verum, ut ut nonnulla ſint in hoc Danielis vaticinio, quibus aliquid inſit difficultatis ob phraſiologiam Chaldaicam Prophetæ peculiarem; ubi quis hæc ſuperaverit, & animo præjudiciis libero, quæ ex Commentariorum

hujuſmodi oboriuntur lectitatione, huic incubuerit Oraculo, planam ſatis, ac dilucidam reperiet Prophetiam de Septimanis Lxx. certè circa illarum initium non erit quod hæreat. Illas enim inchoandas eſſe à Muri Foſſæque reparatorum tempore declarat verbis minimè fallacibus aut obſcuris Daniel. *Cognoſcito*, inquit Angelus, *ac intelligito, quòd ab exitu Verbi, de revertendo & ædificandis denuo Jeroſolymis*, id eſt, ab executione iſtius Verbi, *ad Chriſtum uſque Ducem Septimanæ determinatæ ſunt Septem & Sexaginta duæ, & ædificabitur murus & foſſa*, ſeu platea *in anguſtia temporis*. Ibi enim figitur tempus inchoandarum Septimanarum in exitu ſeu complemento Edicti Regis Perſarum quod extat Ezræ cap. 1. de ædificandis denuo Jeroſolymis, notatque Angelus Gabriel Murorum Foſſæque reparationem finitam, exordium daturam eſſe Septimanis illis vii. & Lxii. quæ ad Meſſiam uſque Ducem fluere debebant, quod etiam eventus comprobavit, ut deinceps videbitur. Murorum autem ac Foſſæ reparationem quando Nehemias abſolverit, is ipſe docet expreſſis verbis, diemque menſis indicat cap. vi. v. 15. *Completus eſt autem murus Viceſimo quinto Menſis Elul, diebus duobus & quinquaginta*, quibus Verbis poſtremis *anguſtiam temporum expreſſit* quam prænunciaverat Daniel. Anno ſcil. Artaxerxis xx.

Dies igitur ille Sexti Menſis viceſimus quintus, is eſt à quo Danielis omnes Septima-

næ ducunt exordium; per consequens & ultima, cujus initium cum Jesu Christi manifestatione coincidit. Hoc igitur die Elul vicesimo quinto Jesus Israheli manifestatus est ad ripas fluvii Jordanis, cùm a Joanne baptizaretur, eique Pater de Cœlis testimonium perhiberet, quòd ejus esset Filius Unigenitus, in quo complacuisset, Spiritu Sancto cœlitùs in eum delapso, Joanneque Baptistâ idem de eo testificante.

Proindéque cùm annum ætatis suæ tricesimum eodem expleviſſet die, sequitur eodem vertente die natum eum esse, Mariæ Matris benedictæ partu virgineo.

Scrupulus hic restat, in eo quod ait Lucas Evangelista eum tunc fuisse *quasi* annorum triginta, ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα, quæ vox ὡσεὶ videtur innuere, quòd tunc eum annum præcisè non ageret, sed cum aliquâ latitudine, ac circum circa. Unde natalis ejus dies non præcisè in illum incidit diem: Verum à viris Doctis jam pridem observatum est vocem illam ὡσεὶ completum duntaxat tempus in Evangeliis denotare, cujus exempla proferunt Luc. xxiii. 44. Ἦν δὲ ὡσεὶ ὥρα ἕκτη. Marc. xv. 33. Γενομένης δὲ ὥρας ἕκτης Act. iii. 10. ὡσεὶ ὥραν ἐννάτην τῆς ἡμέρας. v. 30. Καὶ ἐννάτην τὴν ὥραν. Marc. viii. 9. Ἦσαν δὲ οἱ φαγόντες ὡς τετρακισχίλιοι, Matth. xv. 28. Οἱ δὲ ἐσθίοντες ἦσαν τετρακισχίλιοι χωρὶς γυναικῶν καὶ παιδίων. Quibus ex Locis patet, vocem ὡσεὶ numerum completum denotare annorum, quos natus erat Christus

Chriſtus cum baptizaretur, Miniſteriique à Patre Deo ſibi commiſſi partes obiturus eſſet. Nempe nocte natus erat, quæ recurrerat ante diem, quæ Chriſti illuxit Baptiſmo, & ab illa noctis horâ, quâ fuerat in Lucem editus, fluere cœperat ætatis illius annus unus & triceſimus; quod ſibi voluit Evangeliſta, dum eum annorum ὡσεὶ τριάκοντα natum eſſe definivit.

Diem iſtum vero, Elul viceſimum quintum determinare, atque Menſem ipſum, cui Diei, ac Menſi, quibus utimur reſpondeat ad amuſſim, arduum eſt, nec iſtud poteſt definiri, niſi cognoſcatur quot annis Æram Chriſtianorum vulgarem anteverterit.

De Anno XX. regiminis Longimani.

Danielis Prophetæ determinationi dummodo, quis ſibi putet acquieſcendum, parum habebit difficultatis quæſtio quæ nobis præ manibus verſatur. Quemadmodum enim diem præfinivit quo Chriſtus naſciturus erat; ſic annum prænunciavit à quo ducerent exordium Septimanæ ſeptem & ſexaginta duæ, quæ ad Chriſti manifeſtationem uſque currere debuerunt, annum ſcilicet, quo Jeroſolymorum murus denuo ſurrexiſſe debuit, quem ex Nehemiæ cap. 11. viceſimum fuiſſe regis Perſarum Artaxerxis certum eſt ut quod certiſſimum.

Ab

Ab illo igitur anno, dieque vicesimo Mensis Elul ad Christi Ducis manifestationem usque annos completos numerat 483. Septimanis comprehensos VII. & LXII. de quibus si detrahantur anni triginta, quos compleverat Christus cùm à Joanne baptizaretur, restabunt anni præcisè 453. ab anno Regis Artaxerxis vicesimo, ad eum annum quo Christus in lucem editus est.

Verùm cùm apud omnes non constet 1°. quis fuerit Artaxerxes ille, qui Nehemiam Judaicæ Genti præfecit, murumque Jerosolymorum jussit erigere denuo 2°. neque de anno ejus regiminis vicesimo, idem omnes sentiant, 3°. in anno hocce cum Romanis connectendo plurimum oboriatur difficultatis. 4. Vix congruere videantur anni quos Daniel determinavit, cum annis quos adnotaverunt Evangelistæ, quibus manifestatus est Christus, suprenumque clausit in terris diem: Nodis illis solvendis dum insudant Chronologi, sententiis, contrariis, aut sic diversis pugnent ut conciliari nequeant inter sequo vel cum Scripturis; fugit aut perit prorsus ipsis veritas.

Artaxerxem illum, qui Judæis Nehemiam Ethnarcham præfecit, dicimus esse Darii Hystaspis, ex Xerxe filio nepotem. Quem Græci Artaxerxem Macrohir seu Longimanum nuncupaverunt: nomen enim Artaxerxis, successionis tempus ac ordo, eadem in Dario & Artaxerxe Dei Cœlorum seu Judæorum reverentia, animusque ex æquo

in

in Judæos propensus id evincunt, Darium Hystarpis avum fuisse; Artaxerxem verò nepotem, quorum utique operâ, Zorobabelis, seu Secundum Templum suscitatum est, & consummata ædificii moles. Esdræ cap. vi. 14. & Nehem. ii. 8.

Illos autem non moramur, qui Darium, cujus jussu Templum denuo conditum est, eum esse pertendunt, qui Nothus dictus est, Artaxerxis Longimani filium. Templum enim Secundum ex Judæis plures viderunt, qui primum seu Salomonis dum staret viderant: quos ad annum Nothi secundum in vivis certum est non superstitisse, annis à vastato Salomonis Templo, centum fermò & sexaginta: Proindeque nec Artaxerxes, quem Græci Mnemonem dixerunt is esse potuit Rex Persarum, quo jubente Jerosolymorum murus denuò procurante Nehemiâ coaluit.

Jam verò quærendum est quis fuerit annus ille Longimani xx. quo scilicet Jerosolymorum mœnia consurrexerunt, mensis Elul seu sexti Hebræorum, die vicesimâ quintâ, quæ Danielis Prophetæ singulis initium dedit: istud ut adipiscamur Longimani Regiminis primus primò inveniendus est ac figendus: quò ad vicesimum certò pateat aditus ac progressio.

Annus autem ille quartus fuit, teste Thucydide, ex quo Cimon Athenienſis, Miltiadis filius Græcorum Exercitui summus

mus Imperator præpositus est. Septimus à Pugnâ inter Persarum Græcorumque Classes in Salaminis commissâ; Xerxis iniens decimus tertius & ultimus; idemque, quo Naxus, Duce Cimone ab Athenientibus obsidione cincta est, Themistocle Neoclis filio in Asiam profugiente, ob proditionis Societatem adversus Græciam, cum Pausaniâ Lacedæmonio initam, capite damnato. Illi autem characteres in annum unicè quadrant Olympiadis lxxvi. Tertium; Æræ Nabonassari 275. quæ omnia ex uno ferè Thucydide, qui solus instar omnium hîc audiendus est, evidentissimè demonstrabimus. Is enim *De Bello Peloponnes.* lib. 1. dicit Themistoclem ex Peloponneso profugum, ob Societatem initam cum Pausaniâ Duce Græcorum, de prodedâ Xerxi Græciâ, Ephesum appulisse Ἀφλαξέρξου νεωστὶ βασιλεύοντος; dum Naxum Ægei Maris Insulam obsiderent Athenienses, Duce Cimone Miltiadis filio. Illa autem obsidio, quarto contigit anno Cimonis Imperii Militaris, quartòque à revocato Pausaniâ & ab ejus obitu tertio. Sed audiendus est ipse Thucydides de Cimone verba faciens.

Primùm quidem, inquit, *Eionem, quæ est ad Strymonem, Medis obtinentibus expugnarunt* (Athenienses scil.) *Duce Cimone Miltiadis filio. Deinc, Scyrum in Ægeo Insulam, quam Dolopes inolebant deripuerunt, ipsique incoluerunt. Fuitque illis cum Carystiis, sine aliis Eubœensibus*

bus bellum, tandemque in deditionem eos redegerunt. Post hæc cum Naxiis, qui defecerant bellum gesserunt, quos oppugnando subjecerunt. De Bell. Peloponn. lib. 1. n. m. 65.

Expeditiones militares quatuor Cimonis, dubio procul hîc habemus, quarum postrema fuit Naxiorum reductio, quæ nondum subacta fuit, quùm Themistocles in Asiam perfugeret regnante τῷ Artaxerxe. De primâ duntaxat quæstio est præsertim, quando scilicet contigerit; ab illa siquidem sequentium dependet cognitio : Illud autem ut inveniamus, altiùs paulo nobis ascendendum est, ad tempora scilicet, initi in Thermopylis inter Lacedæmonios atque Persas prœlii, unde Xerxes Victor Exercitum suum in Græciam Athenasque ipsas deduxit. Herodotus autem istud contigisse narrat non semel, cùm Olympia Græci celebrarent. *Polym. & Uran.* Id est; cum nova duceret Olympias initium. Diodorus illam Olympiadem Lxxv. fuisse dicit, cui consentiunt Demetrius Phalereus apud Laertium in vita Socratis, & Dionysius Halicarnasseus. Hist. lib. ix. Eodem anno victum fuisse Xerxem in Salaminis ; Athenis Archonte Callià Herodotus Author est.

Olympiadis Lxxv. anno 2. Mardonium cum Selectâ Persarum manu, juxta Platæas, anno præcedente incensas à Xerxe, cædit Pausanias Lacedæmonius. Subindéque classe vectus confœderatorum Cyprum Insulam vastat

vastat, Byzantemque redux expugnat; unde captivos Persas, Xerxis Purparatos, quasi ruptis vinculis, ad Regem remitit, consiliáque cum Barbaro init sibi ipsi, Patriæque exitiosa.

Olympiadis Lxxv. anno 3. accusatus Pausanias apud Ephoros, quòd Tyrannum ageret potiusquam Ducem, revocatus est; in ejusque locum suffecti sunt Dorcis Lacedæmonius, aliique simul nonnulli, quo Ducis supremi minueretur Authoritas, quæ Pausaniam corruperat. Dorcique despecto suffectus est Cimon Atheniensis *Thucyd.* U. S. operam in eo collocante egregiam Aristide. Reversus in Castra Pausanias non admittitur, in Troadem secedit, proditionem quam orsus erat pertexturus si licuisset.

Anno 4. Olympiadis ejusdem Lxxv. Pausanias Spartam reversus, denuò in jus trahitur, & scelestæ proditionis reus, fame necatur in Sacello Palladis Chalciæcæ. Thucyd. Ibid. Id anno 4. Olymp. Lxxv. exeunte factum esse dicet Diodorus. Bibl. lib. xi.

Cimon Eionem ad Strymonem expugnat ac diripit.

Anno sequente Olympiad. lxxvi. 1°. Duce Cimone Scyrum in Ægeo Mari Athenienses expugnant.

Anno 2. Bellum cum Caristiis in Eubœcâ gerunt ac perficiunt.

Anno 3. ejusdem Olympiadis lxxvi. contingit Naxiorum reductio, Themistoclis que in Asiam appulsus regnante νεωὶ Artaxerxe:

Ad

ad quem Litteras scribit Themistocles, quas apud Thucydidem videre est: Regiminis itaque Longimani annus primus incidit in Tertium Olympiadis lxxvi. qui jam in initio Mensis Nizan solio insidebat. Neh. cap. 11.

Vicesimus annus itaque regni ejus tertius fuit Olymp. lxxxi. Æræ Nabonassari 295. à quo ducunt initium. Danielis septimanæ Lxx. mensis Elul xxv. die, quo Jerosolymorum vallis Colophonem addidit Ne-Nehemiæ. *Nehem.* cap. vi.

Objiciet hîc forte quispiam aliud longè diversum à Diodoro Principium assignari Regis Persarum Artaxerxis Imperio, quem duntaxat anno 4. Olympiadis Lxxviii. Patri suo Xerxi successisse refert, annis quatuor post mortuum Themistoclem. Item Cornelium Nepotem atque Plutarchum alio prorsus ordine Cimonis expeditiones recentere: proindeque certum esse nequaquam, istud Artaxerxis regni primordium, quod ex Thucydide fiximus.

Verum Thucydidis narrationem aliorum rationibus vel inde præferendam esse judicamus, quòd fuerit is Artaxerxi coætaneus. Nepos vero, Diodorus ac Plutarchus pluribus seculis sint Thucydide posteriores, Cimone ac Artaxerxe. Sed ut paucis Litem illam Chronologicam dirimamus, Thucydidis duntaxat observationem referre satis erit Lectori candido, alios enim non moramur. *Scripsi*, inquit, *ea ab instituto*

Sermone

ſermone digreſſus, ob id, quod ab omnibus qui ante me floruerunt locus hic prætermiſſus eſt, res ante Medicum bellum geſtas ſcribentibus; aut ipſum bellum Medicum. Quorum Hellanicus, qui iſta attigit in Atticâ Hiſtoriâ & breviter meminit, neque digeſtis exactè temporibus.... Primum quidem Eionem, &c. de Bell. Peloponn. U. S.

Hâc Authoritate fretus Thucydidem unum hîc audiendum eſſe ſtatui, Diodróque, cujus rationes cum Herodoto, Cornelio Nepote, Plutarcho, Juſtino pugnant; item Hellanico, illiſque omnibus, qui eum ſecuti ſunt, merito præferendum eſſe, illiuſque ſtandum Judicio.

Age verò, jam videamus quorſum, cum Menſibus Romanis, qui apud nos in uſu ſunt, congruat annuus ille Longimani viceſimus, Menſiſque Elul quintus & viceſimus dies. Iſtud ut adipiſcamur, ſciendum eſt primò quot annis Æram Chriſtianam annus iſte præceſſerit: ut ejus deinde Characteres inveſtigari valeant.

Cœpit Autem Æra noſtra vulgaris anno 4. Olympiadis cxciv. Iphiti. 776. exeunte.

Annus verò Longimani xx. cum fuerit 3. Olympiadis lxxxi. Iphiti fuit 223. ſubductis itáque 222. ex 776. reſiduum erit 454. quot annos intelligimus fluxiſſe ab anno regiminis Longimani xx. ad Æræ noſtræ vulgaris initium.

Anni autem qui præceſſit Æram Chri-

ſtianam annos 454 integros iſti ſunt Charactere proprii.

1. Cyclus Solaris. . . . . IV.
2. Litera Dominicalis. . . . C
3. Numerus Aureus. . . . . XVI.
4. Epacta. . . . . VII.

5. Neomenia proxima verno Æquinctio in diem Menſis Martii xxiv. incidebat, qui feria erat quarta ſive Mercurii.

Proindeque Menſis Hebræorum primi ſive Nizan dies primus à feriâ quintâ, die Jovis incipiebat, Martii xxv. Adeoque Menſis Elul dies primus concurrebat cum Die Menſis Auguſti xxii. Elul vero xxv. cum xv. Septembris die currebat.

Quintus itaque ac viceſimus Dies Menſis Elul Decimus quintus erat Menſis Septembris, anno regiminis Longimani viceſimo. Annis ante Æram Chriſtianam 454. ut liquet ex ex Tabula nexûs Hebræorum Menſium cum Romanis, prout concurrebant anno hocce Artaxerxis viceſimo.

MENSES

Hebræorum.	*Romanorum*
Niſan primus dies. . .	Martii. xxv.
Jiar.	April. . xxiv.
Sivan.	Maji . . xxiv.
Tamuz.	Junii . . xxiii.
Ab. ſeu Abib.	Julii. . . xxiii.
Elul.	Auguſti. . xxii.
Elul dies xxv.	Septemb. xv.

Quia

Quia nempe Judæorum Menſes ſinguli diebus duntaxat triginta conſtbant.

Verum quandoquidem non omnes calculo fidunt, qui duntaxat Olympiadibus innitatur; videndum eſt num conveniat Olympiadum rationibus ac Ptolemæi Canoni, qui Mathematicus vulgo dicitur; nulla enim eſt inter eas repugnantia, conſenſus verò ſummus.

Jam ſuperius obſervatum eſt annum Longimani regiminis primum Xerxis ineuntem fuiſſe xiii. Bellum enim Ægyptiacum Xerxis Imperii binos annos; apparatus verò Belli in Græciam transferendi, quatuor annos conſumpſerat, teſte Herodoto in Polymnia, *à debellatâ Ægypto per totum quadriennium comparaverat exercitum* (Xerxes) *atque ejus apparatum: quinto autem anno ineunte* (ab Ægypto ſcilicet debellata) *movit eum ingenti copiarum manu.*

Annum igitur Imperii ſui ſeptimum incœperat, Xerxes cùm primùm in Thermopylis: mox in Salamine pugnatum eſt, anno 1. Olympiadis lxxv. proindeque anno 3. Olympiadis lxxxi. quo regnandi fecit initium Artaxerxes, Xerxis xiii. agebatur, qui haud dubiè fuit Æræ Nabonaſſari 275. Annis verò Nabonaſſari 274. ſi addantur regiminis Longimani xix. quos compleverat, anno currente ſui regiminis xx. colligetur annorum Nabonaſſari ſumma 293. quibus adjiciantur anni 454. quos ab anno Longimani xx. ad Æram Chriſtianam fluxiſſe diximus, ſumma totalis ſurget annorum Æræ Nabonaſſari 747. adeo ut annus Æræ

Christianæ primus incipiat ab anno Nabonassari 748. qui respondet anno Monarchiæ Cæsaris Augusti xxx. ab Consulatu vero Hirtii ac Pansæ iv. & xl. quo Æram nostram vulgarem incœpisse certum est.

Congruunt itaque Ptolomæi rationes, cum Olympiadum calculo, certumque proinde est, annum regiminis Longimani xx. illis insignitum esse Characteribus qui prius indicati sunt: Christumque adeo nasciturum esse juxta Danielis vaticinium Mensis Septembris die Decimo quinto. Si Mensis Nizan eodem inciperet Mense ac die Sepembris eo anno, quo nascitur us erat Christus. Id autem ut contigerit, deinceps declarabitur.

Annus autem iste, quo cœpit Æra Christianorum vulgaris, an sit ipse, quo natus est Dei Filius, paucis inquirendum est.

Istud ut adipiscamur, investigandus est prius quis sit in Canone Ptolemæi annus iste, quo suum Christus obire ministerium debuerit. Deinde triginta plenis ab inde annis, quos Christus impleverat cum à Joanne baptizaretur descendendum est, illicque nativitatis ejus annus figendus est.

Annus indigitatur, quo suum munus *Christus obire cœpit.*

Prophetæ Danielis ductu Christi natalem ut invenimus diem, nempe Mensis Elul xxv. eodem duce annus, quo suum obire munus occœpit

occœpit, hîc quærendus venit & indagandus. Suum autem munus ſuſcipere debuit Meſſias Septimanis annorum completis ſeptem & ſexaginta duabus, à Menſis Elul die xxv. anni regiminis Longimani xx. quo Jeroſolymorum murus denuo coaluit. Id eſt annis 483. iiſque plenis ac completis. *Ab exitu Sermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Ducem Chriſtum Hebdomades ſeptem, & Hebdomades ſexaginta duæ erunt; & rurſus ædificabitur murus & platea, in anguſtia temporum.* Daniel. cap. 9.

Profecto Hebræorum Jubilæum Septimanis annorum, ſeptem completis conſtitiſſe liquet ex cap. xxv Levitici verſ. 8. quod obſervamus ne cui veniat in mentem, Danielis Septimanas annorum apud Judæos uſu non obtinuiſſe.

Annis igitur Æra Nabanaſſari 293. addantur anni inſuper 483. vii. & Lxii Danielis compræhenſi Septimanis, devenietur ad annum completum ejuſdem Æræ. 756. quo deſinente, incipit annus, quo Chriſtus ſuum obire cœpit Miniſterium: Ille autem annus Nabonaſſari 776. connectitur cum anno Tiberii Tyrannidis xv. in Canone Ptolemæi Mathematico: proindeque Chriſti initiationis ſeu baptiſmatis annus in xvi. ineuntem Tiberii principatûs incidebat certiſſimè. Solis xi. A. Lunæ xii. Epact. vii. M. Vinutio Quartino, & C. Caſſio Longino Coſſ. Menſis Elul xxv. die, Septembris xiv. Feriâ quintâ, Jovis ſcilicet die. Verùm

Verùm noſtræ Sententiæ huic obeſſe videtur, quòd Lucæ cap. iii. Baptiſmi, ſeu manifeſtationis Zachariæ Filii Joannis Baptiſtæ primordia, cum anno Tiberii xv. connectantur. Nam eodem anno, Chriſtum à Joanne baptizatum eſſe plures, vel ex inde conjiciunt, quòd temporis, quo defungi ſuo miniſterio cœpit Joannes, ideo duntaxat recordatus ſit Evangeliſta, ut doceret eodem anno Chriſtum ſuo munere utique defunctum eſſe: Aliàs enim non eſſe tanti Joannis Miniſterium, ut ejus primordia Lucas obſervaſſet, neglecto tempore, quo ſui muneris partes Chriſtus implere exorſus eſt.

Reſpondeo 1. ut ut primordia Miniſterii Joannis ab Evangeliſta fuerint obſervata, ut Chriſti advenientis, aut ſubſequentis manifeſtationis tempus innoteſceret; non inde ſequi, quòd eodem anno, ut nec eodem Menſe munus utriuſque primordia ſua habuerint; cùm præſertim Chriſto præmitti Joannes debuerit. 2. Non potuit Chriſtus eo anno Tiberii regiminis manifeſtari, quia nempe, nec ipſe Joannes Menſis Elul xxv. Prædicare Judæis cœperat adventum Meſſiæ: Certè ante Menſis Auguſt. diem xix. quo Tiberius Auguſto ſucceſſit, baptizare Joannes non potuit. Ab illo autem die Menſis Auguſti xix. ad Menſis Elul xxv. integer Menſis non fluxit 3. Denique Litem iſtam dirimit ipſe Paulus Apoſtolus Act. cap. xiii. cùm docet à Joanne ſtadium ſuum claudente,

dente, baptizatum esse Jesum ὡς δὲ ἐπλήρω ὁ Ἰωάννης τὸν δρόμον, *cum stadium suum impleret, dixit, quem me putatis esse? Ego* non sum ὁ σανδὴξ τῶν Ἰσραήλ. *Sed venit post me, cujus non sum dignus calciamentum solvere.* Istud autem à Joanne dictum est pridie quam se conveniret Jesus in Bethabara, nondum exorsus Evangelii præconium, licet à Joanne baptizatus. Joan. cap. 1. vers. 20. Anno igitur Tiberii regiminis ineunte xvi. Suo munere cœpit Christus defungi. Mensis Septembris die decimo quarto. 2. Ex hoc Anno Christi Manifestationis, haud ita magni molimînis erit Annum invenire, quo natus in terris Christus.

Annus Christi Nativitatis.

Dicimus itaque Christum esse natum Æræ Nabonassari Anno 746. ineunte. Quod sic demonstramus. 1. Annum trigesimum compleverat cum baptismate tingeretur. Anno Æræ Nabonassari 777. ineunte. 2. de Annis 777. tollantur Anni xxx. completi, quos egisse Christum ostendimus à Joanne baptizatum, residuum dabunt Annum 747. adeo ut Anno 746. ineunte natus sit omni dubio procul, qui annus æram Christianam immediate præcessit. Ita ut Christi nativitas Æram istam antecesserit Mensibus duntaxat tredecim, diebusque, quot à Septembris xv. die, ad Decembris xxv. fluxerunt quo natum esse Christum vulgo traditur. Is

Is autem Annus fuit Augusti Monarchiæ xxviii. à Consulatu verò Hirtii ac Pansæ xlii. COSS. Cæs. Augusto xiii. & M. Plautio. Istis insuper Characteribus insignitus.

1. Cyclo Solari. . . . . viii.
2. Literi Dominicali. . . E.
3. Cyclo Lunari. . . . . xix.
Epact. . . . . xxxiv.

5. Neomenia Æquinoctio verno proxima in Aprilis Mensis v. incidebat feria sextâ seu Saturni die, qui cum primo Mensis Nizan concurrebat.

MENSES.

Hebræorum.		*Romanorum.*	
1.	Nizan. . . .	Aprilis.	v.
1.	Jiar.	Maii. .	v.
1.	Sivan. . . .	Junii. .	iv.
1.	Tamuz. . . .	Julii. .	iv.
1.	Abib.	August.	iii.
1.	Elul.	Septemb.	ii.
25.	Elul.	Septemb.	xxvi.

Vicesimo sexto itaque Mensis Septembris Anni Augusti Monarchiæ xxviii. natus est Christus Dei Filius ex Mariâ Virgine. Hic unica duntaxat oritur difficultas, quam non esse prætermittendam duximus; quanquam non sit adeo magni momenti.

Flavius nempe Josephus Herodem, quo regnante Christus natus est, Anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo periisse docet; à Consulatu

ſulatu : nempe Domitii Calvini, Aſiniique Pollionis, annis ſeptem & triginta ; quibus, Anni ſi additi fuerint quatuor, quibus regno potitus erat Auguſtus, deſinente Pollionis Calvinique Conſulatu, ſurget annorum ſumma regiminis Auguſti 41. adeo ut ii. & xl. Cæſaris Auguſti vivendi finem fecerit Herodes, uno anno priuſquam natus eſſet Chriſtus juxa rationes calculumque noſtrum. *Herodes*, inquit ille, *moritur Annos triginta quatuor, ex quo Antigonum occidit; triginta vero ſeptem ex quo Rex à Romanis declaratus eſt*. De Bell. Jud. lib. 1. cap. xxi Antiq. Jud. lib. xvi. cap. x. Authoritatem iſtam admiſerunt æquanimes Chriſtiani, haud ſatis memores quàm ſit Flavii calculus fallax & incertus ut plurimùm; ideoque eum in ſuas partes trahere conati ſunt plurimi. Nos certè quod attinet authoritatem iſtam flocci pendimus ſententiamque ut incertam & erroneam explodimus. 1°. Quia ſibiipſi non conſtat. Si enim Annis iv. & xxx. ab extincto Antigono rerum potius eſt Herodes, regnavit pluſquam Annis vii. & xxx. à Conſulatu Pollionis & Calvini. Antigonus enim Securi percuſſus eſt ab Antonio, poſt expugnatam à C. Soſio Jeroſolymam Coſs. Sex. Pompeio, & L. Cornificio : Cæſaris Auguſti Dominatûs anno ix. ineunte. Anno autem ſequente Caius Soſius ex Judæâ triumphavit iii. Nonas Septemb. Coſs. M. Antonio 2. & Scribonio Libone.

Si

Si igitur poſt occiſum Antigonum annos iv. & xxx. regnaverit Herodes, Anno duntaxat Imperii Cæſaris Auguſti xliv. mortuum eſſe eum oportet, quod cum rationibus noſtris pugnat minimè. 2°. Non neſcimus Flavium Jeroſolymorum expugnationem à Soſio ac Herode factam, adeoque necem Antigoni Regis cum Anno vii. regiminis Auguſti COSS. Vipſanio Agrippâ Caninioque Gallo connectere. Verùm ſi eo tempore contigit Jeroſolymas expugnari, id à Pacoro Orodis Regis filio factum eſt, ac Labieno, cum Antigonus, adnitentibus Parthis regno reſtitutus eſt. Quicquid ſit, Jeroſolymorum expugnationem à Soſio factam collocat Dion Caſſius lib. xlix. ſub Coſſ. Sex. Pompeio & L. Cornilicio, eodemque Anno Herodem ab Antonio conſtitum eſſe Judæorum regem dicit, cui conſentit Velleius Paterculus, qui Antigonum de Medio ſublatum eſſe ſtatuit, quo tempore in Parthos Antonius expeditionem ſuſcepit, infauſtis avibus; clademque tertiâ vix parte de ſexdecim Legionibus reliquâ, temulentus Imperator accepit; tandem profugit in Syriam, Mentis væcordiâ ferocior, quſi viciſſet, qui evaſerat, anno Auguſti principatûs decimo, quo tempore Lepidum devicit Octavius Auguſtus. Velleius Paterc. Hiſt. lib. 11. Dion Caſſius lib. xlix.

His Argumentis, nullus erit opinor, qui authoritatem non præferat Dionis viri Conſularis,

ſularis dignitatis penes quem fuerunt rerum Romanarum certiſſima monumenta, Flavii Joſephi placitis, qui rei Chronologicæ rudis fuit admodum ac imperitus, cuíque præter Styli elegantiam nihil non defuit, quod Hiſtoriographum commendet. Igitur reluctante Flavii Joſephi calculo ſtabit quam protulimus ſententia, de Anno, Menſe, ac Die quo Mundi Salus, Dei Filius Chriſtus natus eſt.

Nunc ad Annum quo morte mulctatus eſt immerito Romanorum iniquâ ſententiâ; Judæis in id impiè ineumbentibus properandum eſt, pauciſque res eſt diſcutienda non difficilis. Si præſertim cum iis conferatur quorum indagationi hactenus incubuimus.

ANNUS QUIS SIT

Quo mortem paſſus eſt CHRISTUS.

Duce Daniele Prophetâ, quem hactenus ſecuti ſumus, Annum atque diem quo Mortem oppetiit Chriſtus, jam inveſtigare operæ precium eſt.

Certè Annum Mortis Chriſti, non expreſsè, ſed ex adjunctâ Sacrificiorum abolitione Daniel ſubindicavit, quæ quidem abrogatio contingere debuit in Hebdomadis ultimæ medio, quâ ſcilicet Meſſias cum pluribus corroboraturus fuit fœdus atque pactum. *Ad Chriſtum uſque Ducem Hebdomades*

mades ſeptem erunt & Sexaginta duæ; Et poſt Hebdomadem ſecundam & ſexageſimam excindetur Chriſtus . . . Confirmabitque pactum cum multis una Hebdomade; Et in medio hujus Hebdemadis ceſſare faciet Sacrificium & Hoſtiam.

Quibus verbis docet, 1°. Ineunte Septimanâ poſtremâ ſeu Lxx. Meſſiam manifeſtatum iri : 2°. Illa currente Septimanâ multos ad ſuum fœdus acceſſuros eſſe. 3°. In hujus Septimanæ medio finem Sacrificiis Oblationi, totique cultui Moſaïco per Chriſtum impoſitum iri.

1. At Chriſtum ineunte Septimanâ Danielis poſtrema manifeſtatum eſſe Annis 483. à prima ineunte ſeptimana Anno Artaxerxis regiminis xx. ſuperiùs probatum eſt.

2. Fluente poſtrema Hebdomade Danielis pactum ſancivit cum multis ex Domo Iſraelis, ovibus ſcilicet, quæ perierant, & ad ovile Domini erant reducendæ. Pactum inquam iſtud per ſe partim, partim per Apoſtolos confirmavit, toto Hebdomadis Lxx. decurſu, quâ deſinente Gentes item fœderis ejuſdem participes factæ ſunt, & ad Dominum convocatæ.

3. Suæ mortis Sacrificio, Legis Moſaicæ Ritus ac Sacrificia Chriſtus abolivit.

Ipſius autem morte Sacrificia, hoſtiaſque Moſaïcæ Legis abolendas eſſe David prædixerat Pſal. xl. *Sacrificiis ac Oblatione non delectaris,*

delectaris, ſed Corpus adaptaſti mihi : Ecce Me, veni Ego voluntatem tuam impleturus. Quâ de re conſulatur Pauli ad Hebræos Epiſt. cap. x.

Verùm medio Hebdomadis ultimæ abolere debuit Hoſtiam & Sacrificia Chriſtus. *Confirmabit pactum cum multis unâ ſeptimanâ, & in hujus ſeptimanæ medio ceſſare faciet Hoſtiam & Sacrificium.* Unde ſequitur mortem oppetiiſſe Chriſtum in medio Septimanæ iſtius; Tribus Annis cum dimidio, à manifeſtationis ſuæ tempore.

Num verò res ſic ceciderit videndum eſt; ſic rem habere, ex Evangelio Joannis evidentiſſimè liquet, qui Feſtum Paſchatis quater à Judæis celebratum eſſe docet, Chriſti currente Miniſterio, quorum ultimo crucifixus eſt Jeroſolymis. Saltem Sepulcro clauſus recubuit, dum hujus ſolemnia Judæi perage-rent.

Primi Paſchatis fit Mentio Joannis Evang. cap. 11. verſ. 13. Secundi cap. v. Ubi Feſtum Judæorum dicitur Antonomaſticè. Tertii, cap. vi. comm. 4. ubi vocatur ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων Feſtum Judæorum καὶ ἐγγὺς Quarti & ultimi cap. xiii. Quatuor illis Feſtivitatibus tres anni completi, dubio procul contenti ſunt. Illis Annis tribus addantur ſex Menſes qui fluxerant à die Septembris xiv. ad proximum uſque Paſchatis feſtum, ſurgent tres Anni cum dimidio, quibus ſui muneris partes obivit Chriſtus, quos ſuâ tandem

tandem morte cumulavit, Annis illis ac Menſibus expletis.

Quando autem ipſum contigit mori illoſque tres Annos expleri jam videndum eſt. Nec multum habet difficultatis. Si enim Annis regiminis Tiberii Cæſaris expletis quindecim, tres addantur cum unius dimidio devenitur ad xix. Tiberii currentem Æræ Nabonaſſari 780. Conſulatus Ser. Sulpitii Galbæ, & L. Cornelii Sullæ cujus iſti ſunt Characteres.

1. Cycli Solaris. 14
2. Literæ Dominicalis. . . D.
3. Cycli Lunaris. . . . . 15.
4. Epactæ. . . . . 10.

5. Novilunium æquinoctio proximum in Menſis Martii xxi. incidebat, Feriam Septimam, ſeu Saturni diem ; a quo incipiebat Menſis Nizan dies primus. Proindeque Paſchatis celebritas in diem Veneris incidebat, & à Veſperâ ſeu Occidente Sole ducebat initium. A quo item temporis puncto dies Nizan xv. Sive Luna xv. denominationem ſortiebatur, & ad Veſperam uſque ſequentis Diei, ſeu Solis occaſum fluebat.

Paſchatis itaque ſolemnitas in diem Menſis Nizan xv. incidebat ; Sabbathi nempe diem, & à Veſperâ Veneris diei procedentis habebat initium ex Hebræorum more, apud quos uſu obtinebat, ut ab Occidente Sole, ſeu Veſperâ dies quivis inciperet, quod ex

ex Moſe didicerant, Geneſ. cap. 1. Aprilis vero die iv: Mortem verò obivit Chriſtus, ut habet Evangelica narratio die, quæ Sabbathi veſperæ prælucebat, ut & Paſchatis; Menſis Nizan Lunâ xiv. quo ferè temporis intervallo Paſchalem Agnum Judæi mactabant; Aprilis Menſis die tertio, feriâ ſextâ ſeu die quem Veneris Romani nuncupabant. Eodemque die clauſus ſepulcro recubuit σαββάτῳ παρασκευῇ, quâ Paſchatis Agnum, ineunte Nizan xv. comederunt Judæi, Joannis cap. xviii. 8. Quæ ſingula cum characteribus congruunt Anni Tiberii regiminis xix. Nabonaſſari 280. prout ſuperius annotatum eſt.

Huic autem noſtræ ſententiæ tria videntur obeſſe, quibus ſigillatim reſpondebimus. Primum eſt quòd Paſchalem feſtivitatem cum Lunâ xv. Menſis Nizan conjungimus, quam Lunâ xiv. celebratam apud Judæos ex Moſis inſtituto Exod. omnes ferè contendunt.

Secundum, quòd juxta rationes noſtras Chriſtus uno die ſolemnia Paſchatis antevertiſſet, cum nempe Lunâ xiv. Menſis Nizan Agnum Paſchalem cum ſuis Diſcipulis eum manducaſſe certò conſtet ex Scripturis. Quâ inquiunt, innovatione ſe Legis tranſgreſſorem conſtituiſſet.

Tertium, quòd Martii Menſis die xv. Chriſtum oportuit mori, non Aprilis die tertio; ut in medio Ultimæ ſeu Lxx. Danielis

nielis Septimanarum finem Sacrificiis imponeret. Cùm enim a die Decimo quintò Septembris illa Septimana duxerit initium; juxta rationes, quas protulimus ſupra, illius medietas in Martii Menſis die Decimo quinto, vel quarto debuit figi, ut noſter ſtaret calculus.

Iſtis difficultatibus paucis ac ordine reſpondebimus.

Ad primam, dicimus ſolemnia Paſchatis nuſquam in Decimam quartam Lunam Menſis Nizan incidiſſe. Neque ex verbis Moſis iſtud poſſe colligi, ſed duntaxat, eo die Agnum, vel Hœdum Paſchalem eſſe mactatum, deſinente ſcilicet ac horis aliquot ante Solis occaſum; dein poſt veſperam manducatum eſſe, quintâ ac decimâ Lunâ ſcilicet ineunte, quòd à viris Doctis pridem obſervatum eſt; vulgus autem neglexit. Hujus rei Argumentum eſt invictum quòd Lunâ XV. omnibus conſitentibus iſta feſtivitas eſt concelebrata, eo Menſe quo Chriſtus mortem oppetiit, id autem ſemper obtinuiſſe vel inde conſtat, quòd tempus indicari non poſſit, quo mutatus fuerit, feſtivitatis iſtius dies, & à Decima quarta Luna, in Quintam & Decimam trajecerit.

Inſtant tamen & ajunt, die ipſo Azymorum primo Agnum Paſchalem à Chriſto Diſcipuliſque ſuis commeſtum eſſe; Id uno quaſi ore Matthæo, Marco ac Luca tradentibus. Proindeque ipſo Paſchatis feſti

die

die, Agnum Paſchalem à Chriſto comeſum fuiſſe. Nos verò vel inde probamus, id eſſe factum pridie Paſchatis, quia primus Azymorum dies in Menſis Nizan Decimum quartum incidebat, quo nempe duabus horis priuſquam Sol occideret Agnus Paſchalis mactabatur.

2. Quicquid ſit de hac quæſtione, id conſtat ſaltem die Veneris, Menſis Nizan xiv. Chriſtum occubuiſſe ſepulcroque concluſum jacuiſſe.

Ad ſecundam difficultatem reſpondendum eſt. Chriſtus reus violati Paſchatis Feſti, adeoque Legis Moſaicæ conſtitutus eſt ex anticipatione unius diei, ſi die Menſis Nizan Decimo quarto feſtivitatem illam celebravit, quam Decimo quinto celebrari Moſes, præceperat: quod de Chriſto dici nec poteſt nec debet.

Lemma duntaxat iſtud eſt merè Judaicum, hominumque ſubſellii inferioris. Ampliorem enim multo dignitatem ac Authoritatem Meſſiæ tribuebant conventûs Iſraelitici viri Principes, cum Chriſto, Eliæ ac Prophetæ jus ineſſe concedebant, diverſos à Moſaïcis ritus ac leges conſtituendi, ut patet ex Joannis cap. 1. comm. 25. Chriſtianos verò, ſi qui ſint, qui de Chriſto ſic ſentiant, quaſi in eum jus non competierit Paſchalem feſtivitatem uno die præcelebrandi, proindeque eum violatæ Legis Moſaïcæ reum agant, iſtud ſi admiſe-

rit; talia dum ſentiunt & loquuntur, eos ad Elementa Religionis Chriſtianæ relegamus, ut ex Cathecheſi diſcant ſuâ quouſque ſeſe extenderit poteſtas ac dignitas, quam à Patre Deo Filius ejus Unicus acceperat in Cœlis ac in Terra. Illinc enim ſui iſtius dubii ſolutio petenda eſt.

Quibus autem rationibus ſua Paſchatis ſolemnia peregerit Chriſtus uno die priuſquam id Judæi ſoluerint, haudquaquam eſt dictu difficile; tribus enim de cauſis, iiſque gravibus diem unum anticipavit hoc Feſtum celebraturus.

1. Quoniam Agnus erat Dei, qui Mundi peccata ſublaturus erat; ideo die horáque, quibus Agnus Paſchalis, jubente Deo, mactabatur, & ipſe Occidendus erat, id enim decuit, ut figura figurato reſponderet.

2. Sacrificium Paſchatis, quod ſuâ morte aboliturus erat, aut conſummaturus, voluit priùs auferri, inſtituto Cœnæ Dominicæ Myſterio, quod ſuæ mortis monumentum foret in ſecula duraturum. Ideóque poſt Agnum comeſtum peractâ Cœnâ, Sacramentum iſtud inſtituit Diſcipulis ſuis, quos Idem facere præcepit in ſui memoriam, quouſque de Cœlis denuo deſcenderet.

3. Hac ratione cavit Chriſtus, ne ſe ſepulto Sacrificium inane, quod ultra mortem ſuam obtinere non debuit, Diſcipuli ſui Veſperâ ſequente jugularent perperam, & offerrent

offerrent Deo præpoſterè, quod haud dubiè contigiſſet, niſi præcedente Veſperâ Paſchalem Agnum cum Chriſto comediſſent.

His igitur rationibus uno die citiùs quam, Judæorum cæteri Paſchale Sacrificium obtulit Deo, quod ei licitum fuit ex omnipoteſtate, quam ei conceſſerat Deus, in Terris & in Cœlo, quâ prælitum fore Meſſiam Synagoga priſca confitebatur.

Tertia difficultas, quæ moveri poteſt adverſus Sententiam noſtram de tempore mortis Chriſti, in eo conſiſtit, quod mori debuiſſet Menſis Martii die Decimo quinto: Saltem ut ejus obitûs dies in medio Septimanæ poſtremæ Danielis occurreret, quæ à Menſis Elul die xxv. Septembris vero v. & x. initium ducebat. At juxta Sententiam noſtram mortuus eſt Menſis Aprilis tertio die, quod non congruit; excedunt enim dies undeviginti, quot ab Adar xxv. ad Sivan xiv. nam à die Menſis Elul xxv. ad xxv. Menſis Adar fluunt ſex Menſes; à xxv. Adar ad Menſis Sivan xiv. fluunt dies ferè viginti.

Huic difficultati ut ſatisfiat, obſervandum eſt 1°. quod ſuperiùs adnotavimus, mortis Chriſti tempus non expreſsè, ſed ex adjunctâ Sacrificiorum abrogatione, apud Danielis vaticinium indigitari. 2°. Non ſimul & ſemel illam abolitionem factam eſſe, ſed per gradus, quos obſervaſſe ju-

vat. Quorum primus fuit cùm Sacerdotum Levitarum Scribarum totiúsque Gentis cœtus, præside Caiaphâ conjurationem de Christo tollendo iniverunt. Ab isto enim tempore sacrilegorum istorum Sacrificia Deus haud dubiè execratus est, & hostias; scelus quod peragere decreverant animis volventium. Secundus Gradus abrogationis Sacrificiorum contigit quum Christus Urbem Galilææ Ephraimum dereliquit Jerosolimamque contendit supplicium Crucis subiturus. *Ecce me.*

Tertius denique Gradus contigit cum de Cruce Christus exclamavit *Consummatum est.* Ultimus autem ut hic Gradus Sacrificiorum abolitionis, diebus viginti, vicesimum quintum Mensis Adar, subsecutus est; primus Gradus diebus totidem eundem Mensis Adar diem antecessisse videtur. Adeo ut medius gradus in Adar xxv. ceciderit, diem Septembris decimum quintum, quo se Christus ad mortem accinxit horrendam ac execrabilem quam Jerosolymis obiturus erat. Juxta vaticinium Davidis supra laudatum. *Sacrificium & Hostiam noluisti; sed aptasti mihi Corpus; Ecce me, O Deus, facturum voluntatem tuam.*

30. Missa hac discussione, dicimus hæc verba, *in medio Septimanæ*, vel *in medià Septimanâ*, non significare momentum aliquod temporis ex æquo distans ab utroque extremo, sed Latitudinem quandam temporis

poris in mediâ Septimanâ. Haud ſecus ac intelligimus medium Diem, medium Menſem, medium Annum, cùm dicimus aliquid eò temporis contigiſſe. Uti medio die decubuit; medio menſe profectus eſt; Anno medio reverſus eſt, aut revertetur; tunc enim ad momentum medium Anni, Diei, vel Menſis attenditur minimè, ſed ad tempus cum Latitudine, quo momentum iſtud ambitur, ex utravis parte.

Ita Chriſtus in mediâ Septimanâ Danielis poſtremâ finem Sacrificiis Legis Moſaicæ impoſuit, cùm in Cruce mortuus eſt: quod Veſperâ præcedente figuraverat in Myſterio Cœnæ Dominicæ, quam Sacrificio Paſchatis ſubſtituit, ſicque Evangelica narratio cum Danielis vaticinio congruit ad amuſſim.

Mortuus eſt itâque Chriſtus Tiberii Tyrannidis Anno xix. Menſe viii. Aprilis Menſis iii. die, Feriâ ſextâ ſeu Veneris die. Reſurrexit ejuſdem Menſis quinto die, Feriâ primâ ſeu Solis die, qui Dominicus inde dictus eſt. Nizan xvi.

In Cœlum aſcendit Maji xiv Feriâ quintâ die Jovis.

Spiritum Sanctum in Diſcipulos demiſit Maji xxiv. Feriâ primâ, die Pentecoſtes.

Tiberii Principatûs Anno iii. & xx. finitum eſt Septennale fœdus cum Iſraele initum per Chriſtum ac ejus Apoſtolos. Gentiumque primitiæ in Centurione Cornelio ejuſque Familiâ Chriſto Nomen dederunt Septembris

ptembris utique die xv. ibique terminatæ ſunt Danielis Prophetæ Hebdomades Lxx. Quo tempore Paulus Apoſtolatûs ſui Anno quarto ineunte Jeroſolymis excedere juſſus eſt cœlitus à Chriſto, & ad Gentes docendas proficiſci.

Unde liquet Jeſum Dominum Noſtrum Meſſiam illum eſſe atque Ducem, de quo vaticinatus eſt Daniel, Revel. cap. ix. Quod aliis item Argumentis probavimus ſuſiori calamo, juſto ferè volumine, cujus hîc ſpeciminis inſtar capita tria vel quatuor præmiſimus, id quod ſupereſt edituri, ſi quod optamus bonis ac eruditis hoc ſpecimen arriſerit, ad Anni novi circumſtantiam accomodatum properante calamo.

Tabula Chronologica.

Olimp.	*Anni Nabon.*	
1. lxxv.		Xerxis vii. Anno currente pugna in Thermopylis & Salamine.
2.	269	Mardonii clades juxta Platæas.
	270.	Item Mardonis & Tigranis ad Mycalem. Herod. Calliop.
3.	271.	Pauſanias Cyprum Inſulam vaſtat: & Byzantem expugnat. Ab Ephoris revocatus, mulctatur pecuniâ. Thucyd.
4.	272.	Dorci Lacedæmonio ſuccedit Cimon Miltiadis filius. Eionem qui expugnat, ſui Principatûs Anno

Olym.	Anni Nab.	
1. lxxvi	273.	Anno primo. Pauſanias necatur. Scyrum Inſulam diripit Cimon. ſui Imperii Anno 2.
2.	274.	In Dolopes expeditionem ſuſcipit.
3.	275.	Naxum obſidet, quo tempore Themiſtocles in Aſiam trajicit. Artaxerxes Xerxis Fil. cum regnandi faceret initium.
3. lxxxi	295.	Artaxerxis Longimani Anno xx. Nehemias Muro cingit Jeroſolymam. Eluſque die 25. Opus perficit, Septembris 15. die. Septimanarum Danielis Lxx. initium.
4. lxxx. viii.	324.	Supremum claudit diem Artaxerxes Belli Peloponn. Anno vii. exeunte Thucyd. eodem Anno ſibi invicem ſuccedunt Xerxes ii. Zogdianus & Darius Nothus.
4. xci.	336.	Bell. Peloponn. Anno xx. Nothi xiii. Mnemon Artaxerxes Nothi filius, vivente patre regni ſuſcipit Habenas. Thucyd. lib. vii. quo tempore Cyrus Aſiæ χοίραν & factus eſt.
4. xciii.	343.	Eſtherem ducit Uxorem Artaxerxes Mnemon, qui Aſſuerus ſeu Rex Magnus nominatur, à Cyro diſtincte qui Κοίραν & erat Aſiæ, id eſt, Rex Veſtigalis. Hoc Anno finiuntur Danielis Septimanæ Septem priores.
3. cxciv	747.	Naſcitur Chriſtus aut 746. Septemb. xxv.

Æra

	Anni Nab.	
1.oxcv.	748.	Æra vulgaris incipit à Calendis Januariis.
	777.	A Joanne baptizatur Christus.
	780.	Mortem obit 3 Aprilis, in ultimæ Danielis Septimanarum medio. Tiberii regiminis Anno xix. resurgit Aprilis 5.
	784	Finem accipiunt Danielis Lxx. Septimanæ. Gentibus ad Fœdus Christi vocatis, Apostolorum Ministerio.

FINIS.

BIBLIOTHECA LAMBETHANA